COUS HIPPOCRATES

QUALIS FUERIT INTER PHILOSOPHOS

QUÆSIVIT

EMMANUEL CHAUVET.

CAEN,

TYP. DE A. HARDEL, IMPRIMEUR-LIBRAIRE,

RUE FROIDE, 2.

1855.

COUS HIPPOCRATES

QUALIS FUERIT INTER PHILOSOPHOS.

Quum plurimi et excellentissimi in omni genere viri apud veteres olim inclaruerint, optimum inter optimos Coum Hippocratem adnumerare non dubitaverim. Cujus rei argumentum si forte requiras, testimonia equidem afferam earum omnium civitatum quæ, sæviente fortuna, eum, haud secus ac alterum Æsculapium adversus pestem, alterum Herculem (1) adversus belluam, certatim supplices arcessebant (2). Nec vos fugit quod de Hippocrate mortuo tradidit Græcia μυθοποιός: scilicet in ejus monumento examen apum multo tempore mel confecisse, quo nutrices pueros infantes illinerent, et morbo liberarent (3).

(1) Ab Hercule et Æsculapio ortum duxisse consentiunt omnes. Adi *Hippocratis genus et vita*, ex Sorano, edit. A. Foesius; Genevæ, 1657.

(2) *Ibid.* — Adi etiam *Epistolas*, sect. VIII.

(3) *Hipp. gen. et vita.*

Quæ omnia illum medicorum facile principem, ac ipsius medicinæ auctorem et parentem habitum fuisse declarant. Neque indignus fuit qui, propter morum et disciplinæ gravitatem, *Senex,* propter miram ingenii aciem, et solertiam plusquam humanam, *Divinus* appellaretur.

Huncce virum apud Coos, Thessalosque, Argivosque, Atheniensesque amplissimis cumulatum honoribus (1), omnes omni fere tempore et debitis extulere laudibus, et debita excoluere cura. Plurimi aliquando exstitere medici, minime quidem contempti (quos inter longe doctissimus eminet Galenus), qui legendis, pertractandis, excutiendisque Hippocratis libris multam operam impenderint. Nunc etiam multi quæ scripserit, quæ invenerit, quæ usque ad hanc nostram ætatem immutata transmiserit, et proferunt et illustrant (2). Philosophi autem, velut philosophiæ alienum, inter narrandas veterum doctrinas, eum semper et omnino neglexere (3). Qua in re longius a

(1) *Hipp. gen. et vita.*

(2) Hæc, exempli causa, afferre liceat : *Hippocrates. Operum omnium græce et latine editionem curavit* C.-G. Kuehn; 3 vol. in-8°. Leipzig, 1825-1827. — *Hippocrates. De aere, aquis et locis;* edit. Petersen, in-8°. Hambourg, 1833. — *Apollonius Citiensis scholia in Hippocratem et Galenum* ed. F.-R. Dietz, in-8°. Kœnigsberg, 1834. —*Hippocrates. Aphorismi, et Prænotionum liber*, edit. L.-O. de Bergen, in-8°. Leipzig, 1841. — Denique, vir quidam eximius, *Littré*, paucis abhinc diebus, omnia Hippocratis opera, in nostram translata linguam, edidit.

(3) Huncce errorem demonstravit, non autem emendavit *Degérando.* — Audio K. Sprengel olim scripsisse librum quemdam: *Apologie de Socrate et de ses principes.* Leipzig, 1789-1792. Ego autem quis sit nescio.

veritate aberrasse mihi videntur. Est enim quædam arctissima sapientiam inter et medicinam societas et amicitia, qua fit ut semper altera aliquid ab altera mutuetur (1). Atque etiam, quod ad Hippocratem attinet, ut inter medicos maximus, ita inter philosophos non parvus apparet; cumque multa ab antiquioribus excogitata delibaverit, multa junioribus expolienda tradiderit, nescio quo modo, Hippocratis omissis scriptis, ejusdem ætatis doctrinas pernoscere possis.

I.

« Rex Persarum nos ad se vocavit, nescius mihi potiorem esse sapientiæ, quam auri, rationem (2). » Hæc scribens Hippocrates, quanti sapientiam faciat luce clarius ostendit. Non autem in ea necessitate sumus, ut ratiocinando, aut probabilia conjectura sequendo, illum medicinæ patrem et quasi procreatorem, simul et philosophiæ quam maxime studiosum fuisse concludamus. Quippe qui fusius et copiosius quo et quanto societatis vinculo, tum medicina, quæ curandis corporibus, tum sapientia, quæ cognoscendis hominum animis, et Deorum numinibus incumbit, inter se devinciantur, ita aperuerit:

« Quapropter, inquit, prædicta singula colligere « oportet, et sapientiam ad medicinam traducere,

(1) Adi Galeni librum : *Quod optimus medicus etiam philosophus.*

(2) *Epist. Demetr.*, sect. VIII, p. 1272. — Hippocratem referens, utor A. Foesio interprete.

« et medicinam ad sapientiam. Medicus enim philo-
« sophus Deo æqualis habetur, ἰσόθεος. Nam neque
« multum inter se differunt, et quæ ad sapientiam
« requiruntur, in medicina insunt omnia: pecuniæ
« contemptio, pudor, verecundia, modestia in ves-
« titu, existimatio, judicium, lenitas, occursatio,
« mundities, sententiarum elocutio, utilium ac ne-
« cessariarum in vita purgationum cognitio, earum-
« que liberatio, superstitiosi Deorum metus aver-
« satio, præstantia divina.....

« Hactenus igitur cum sapientia communionem,
« eorumque etiam plurima habet medicus. Nam et
« Deorum cognitionem ipse potissimum animo com-
« plectitur, cumque aliis in affectibus atque casibus
« medicina multum Deos colere comperitur, tum
« vero Diis medici plurimum concedunt. Neque enim
« ipsa supervacaneam potentiam sibi arrogat, cum
« siquidem ipsi multa aggrediuntur, in multis vero
« ab iis superantur. In quibus autem medicina nunc
« superior existat, hinc manifestum erit. Nam et via
« ejus quædam secundum sapientiam se habet hoc
« modo. Etenim illis ipsis (quod tamen non existi-
« mant) pro confesso ita se habere concedunt, quæ
« circa corpora obveniunt, quæ sane per totam ipsam
« procedunt, dum transformantur, aut permutan-
« tur, partim quidem per manus operam sanantur,
« partim vero per auxilia aut victus rationem cura-
« tionem accipiunt. Præcipuum vero omnium caput
« est, ut horum cognitio habeatur (1). »

(1) *De decenti habitu, aut decoro*, sect. 1, p. 23.

Cæterum, nisi me opinio fallit, non ea erat unius Hippocratis sententia. Jamjam multi antea philosophi sanandorum corporum artem excoluerant; eaque inter pythagoreos, quorum summa erat auctoritas, fertur diu viguisse. Quin etiam, Democritus ipse, medicinæ amantissimus, cum ad Hippocratem litteras quasdam mitteret (1), hæc, remotis ambagibus, perscribit:

« Omnes artem medicam nosse convenit, o Hippo-
« crates, cum præclara simul res sit, et ad vitam
« conducibilis, tum vero vel maxime eruditionis, et
« eloquentiæ, peritis. Sapientiæ enim cognitionem
« medicinæ sororem et familiarem esse duco. Sapien-
« tia siquidem animi perturbationes exhaurit; sed
« medicina corporum morbos pellit.

« Mens autem increscit, cum adest sanitas (2),
« cujus curam habere eos, qui recte sentiunt, præ-
« clarum est. Ubi vero corporis habitus dolet, mens
« ad virtutis exercitationem nullam adhibet diligen-
« tiam. Præsens enim morbus animum vehementer
« hebetat, et intelligentiam in affectus cognationem
« secum adducit (3). »

Ea autem rescribenti ecce succurrit Platonem etiam apud *Timæum*, multa multo cum lepore, ut Platonem

(1) Hæ Epistolæ pro spuriis, sed veterrimis tamen, a plerisque habentur; nec indignæ sunt quæ in medium afferantur. Adi Rixner, *Handbuch der Geschichte der philosophie*, p. 139.—Tennemann, *Gesch. der philosoph.* (Edit. Wendt), I, VIII.

(2) Versiculus ille: *Mens sana in corpore sano*, jam apud Hippocratem reperitur: ὑγιαινούσῃ γνώμῃ, μεθ' ὑγιαίνοντος σώματος (*De Arte*, sect. I, p. 3).

(3) *Epistol. Democr. Hippocrat. de nat. hum.*, sect. VIII, p. 1288.

decet, de corporis et animi morbis fudisse; Aristotelem, cum medicus esset, nonnullos de medicina libros forsitan condidisse (1); plurimos denique, quum apud veteres, tum apud nos, medicinæ studuisse philosophos, philosophiæ medicos. Adeo hæc et illa naturali fœdere inter se conjunguntur!

II.

Sapientiam igitur æque ac medicinam diligit Hippocrates, et, seu scribendo, seu agendo, reveretur; at veram incorruptamque sapientiam. Sophistas enim, Socrati haud absimilis, ubique odio et contemptu animosius insequitur. Quos, summo studio insimulans, summo ingenio depingit, his fere verbis:

« Nonnulli turpiter insectandis artibus artificium « suum collocant, neque id quod facere se credunt, « meo quidem judicio, obtinent, sed suæ scientiæ « ostentationem faciunt.

« At eorum aliquid, quæ nondum inventa sunt, « invenire, quodque invenisse, quam non invenisse « præstiterit, similiterque imperfecta ad finem de- « ducere, id mihi videtur illius esse munus, qui « intelligens existimari expetit. Qui vero ea, quæ ab « aliis sunt inventa, inhonestorum verborum arti- « ficio, contaminare contendit, neque quicquam « corrigit; sed a peritis inventa apud imperitos tra- « ducit, is sane prudentiæ existimationem tueri velle « non videtur, sed potius naturam suam, ignoran-

(1) Adi Ritter, III, l. IX, c. 1, p. 3.

« tiamve malitiose prodere. Solis enimvero artium « ignaris hoc opus competit, qui ambitiosius quidem « contendunt, neque tamen improbitate sua ullo « modo præstare possunt, ut aliorum opera vel recta « calumnientur, vel non recta reprehendant. Eos igi- « tur, qui in alias artes hoc modo invadunt, coer- « ceant, si possint, quibus hæc cura est, et quorum « id interest (1). »

Et alio loco:

« Qui sapientiam istam, quæ in vitæ communione « versatur, ad multa esse utilem allegant, ii mihi « non temere facere videntur. Multæ vero ad ambi- « tiosam quamdam operam comparatæ videntur, eæ « videlicet, quæ de nulla re utili quæstiones agitant.

« Adolescentes iis (vanam scilicet sapientiam fin- « gentibus) sese committunt; ubi vero adoleverint, « præ pudore, eorum conspectum sine sudore non « sustinent. At senes effecti, propter amarulentiam, « eos, publica legum sanctione, urbibus expellunt. « Ii enim, conventu facto, ambitiosa et quæstuosa « sua professione quemque decipientes, in urbium « circulis versantur. Quos et vestitu et cæteris or- « namentis quis cognoscere poterit. Quin etiam, quo « sumptuosius ornati fuerint, eo majore odio aver- « sandi, et ab eis, qui eos conspexerint, fugiendi.

« Ex usu autem fuerit contrarium in his spectare, « quibus non inest exquisitus neque curiosus orna- « tus, qui sese ex cultus venustate et frugalitate, « non tam ad superfluam curiositatem, quam ad

(1) *De Arte*, sect. I, p. 2, 3.

« optimam existimationem, prudentiam, animique « moderationem compararunt. Ad incessum vero eo « semper sunt habitu, minime diffluentes aut super- « flui, in hominum concursibus graves, ad respon- « dendum appositi, adversus altercantes difficiles, « et similium familiaritatibus contrahendis prospi- « cientes, erga omnes moderati, in occasione pru- « denter captanda accommodati, in victu frugales « et paucis contenti, oratione efficaces, qui, quid- « quid doctrina acceperunt, in medium proferunt, « et facultate dicendi utuntur, ad gratiam comparati, « et pro gloria quæ inde provenit decertare parati, « doctrinam suam ad veritatis lucem repurgantes (1). »

III.

Neque vero in hoc uno Socrates Hippocratesque mire consentiunt. Utrique idem de vera scientiæ natura animus, quæ, si urbes et domos deserens, hac et illac errabunda spatietur, omnino est abjicienda. Censet enim Hippocrates omnia cœlestia subterraneaque procul à nostra cognitione abesse. Itaque si quis de rebus aut infra aut supra se positis disserat, atque earum naturam se nosse profiteatur, ea vera sint, nec ne, neque disserenti, neque audienti satis fuerit manifestum. Quippe nullam reperire est judicandi normam (2).

Arcana igitur Naturæ perscrutari neque sapientem,

(1) *De decenti habitu*, sect. I, p. 22.
(2) *De prisca medicina*, sect. I, p. 8.

neque medicum decet. Aut si medicum decet, modo inde petat quid homo, qualisque cætera inter animantia; quid animus, qualisque intra corpus; quid morbus, unde, et qua via, mortem minitans, grassetur (1).

Imo etiam, ne homo quidem, cum sanandus medico obversetur, ideo curiosius introspiciendus est :

« Medici quidam et sophistæ fieri non posse di-
« cunt, ut quis artem medicam cognoscat, nisi idem
« noverit quid sit homo, et quænam ejus prima
« generatio et compositio. Equidem, quæ ab his de
« Natura vel dicta, vel scripta sunt, non tam ad
« artem medicam, quam ad pictoriam spectare,
« existimo. At manifestam naturæ cognitionem non
« aliunde quam ex arte medica haberi censeo, quam
« is facile percipiet, qui universam artem medicam
« probe complexus fuerit. Quo quidem plerique per-
« venisse mihi videntur, et istorum notitiam ha-
« buisse, ut quid sit homo, quænam ejus ortus cau-
« sæ, reliquaque certe cognoscerent. Quandoquidem
« naturæ cognitio mihi medico esse necessaria vide-
« tur, isque omni studio contendere debet (si modo
« quid recte præstare volet), ut intelligat quonam
« modo quis ad ea quæ comeduntur et bibuntur se
« habeat, et quidnam cuique ex singulis eve-
« niat (2). »

(1) *De Carnibus*, sect. III, p. 248.
(2) *De prisca medicina*, sect. I, p. 16.

IV.

Sed, quod multo majus est, Hippocrates de hominum vita et moribus, de bonis rebus atque malis, de variis medici cujusque officiis, more socratico, ut fert occasio, copiose disserit, obscura explanat, inobservata præcipit. Idque jam facile patet ex quorumdam librorum titulis, cum in eis ipse inscripserit: *De decenti habitu, aut decoro;* et *De medici officio.* Atque multi alii libri, qui sunt: *De Arte, De natura hominis, De medico, De morbo sacro,* referti et verbis et sententiis talibus.

Cæteris hominibus multa sunt officia erga parentes, aut cives, aut homines; sed majora etiam medicis præscribenda erga ægrotantes. Omnes quidem justum, gravem, prudentem, constantemque hominem requirunt; quicumque autem morbo laborant, medicum justiorem, graviorem, prudentiorem, constantiorem. Quid enim? Vir, ubi ægrotat, vitam servandam; ubi mulier, pudorem etiam fidens medico committit. Sit igitur temperanti animo, sibique semper moderetur. Sit bonis ac honestis moribus, unaque gravitatem cum humanitate conjunctam præ se ferat. In omni vitæ consuetudine mentem æquam aut servet, aut præstet, non aspero vultu, ne superbus videatur, non hilari, ne molestus (1).

Medico agendum est, non dicendum. Ne igitur sibi vulgi audientiam comparet, et, si quis forte inter-

(1) *De medico*, l. I, p. 19.

roget, simplicioribus verbis respondeat, veritatis unice amans. Linguæ enim potentia artis impotentiam arguit. Noli, quæso, fucum imitari, qui, dum huc et illuc inanem sonum circumvolitans effundit, nihil agit quod aut sibi, aut cuiquam prodesse possit (1).

Neque sane indecorum fuerit si medicus, in angustiis circa ægrotantem multum diuque versatus, medicum alterum, cum quo de præsenti necessitate disquiratur, arcessi jubeat. Morbo enim urgente et in horas ingravescente, dum unus medicus hæret dubius, multa etiam peropportuna elabuntur, quæ, si plures essent, non elaberentur. Absit igitur, absit in advocandis vel plurimis pudor, cum etiam doctissimi quique vel plura ignorent, et in omni copia inopia insit (2)!

Nunquam autem exigendæ mercedis cæca cupiditas te abripiat. Si qui, postquam, te curante, sani evaserint, vel hospitii jus, vel nescio quam necessitudinem præponentes, debitum retinent pretium, ii contemptu quidem, non autem pœna puniendi. Si contra te grato animo remunerentur, pecuniam ad artem, non ad ostentationem, convertas. Quod si vel hospiti, vel egeno opem largiendi occasio se offerat, his vel maxime succurrendum est. Qui enim hominum, is quoque artis vere amator, ἢν γὰρ παρῇ φιλανθρωπίη, πάρεστι καὶ φιλοτεχνίη (3).

Cum igitur hæc ad comparandam cæterorum hominum existimationem, tum in sapientia, tum in

(1) *Præceptiones*, sect. I, p. 28.
(2) *Ibid.*, p. 27.
(3) *Præceptiones*, sect. I, p. 27.

medicina, tum in reliquis artibus, plurimum valeant, medicus eas aut dicendi aut agendi rationes, quantum poterit, amplectatur. Qui, si hac via fortis et constans incedat, fortasse divitias non exaggerabit, certe gloriam apud suos posterosque immortalis obtinebit (1).

Hæc Hippocrates. Multa insuper ejusdem generis apud alios libros continentur. Ea autem omnia, quantacumque sint, paucioribus verbis contracta, in illo qui Ἱπποκράτους ὅρκος nominatur perlegere licet:

« Per Apollinem medicum, et Æsculapium, Hy-
« giamque et Panaceam, jurejurando affirmo, et Deos
« Deasque omnes testor, me, quantum viribus et
« judicio valuero, quod nunc juro, et ex scripto
« spondeo, plane observaturum.

« Præceptorem quidem, qui me hanc artem edo-
« cuit, parentum loco habiturum, eique, quum ad
« victum, tum etiam ad usum necessaria, grato
« animo communicaturum et suppeditaturum. Ejus-
« que posteros apud me eodem loco quo germanos
« fratres fore, eosque, si hanc artem addiscere vo-
« lent, absque mercede et syngrapha edocturum.
« Præceptionum quoque et auditionum, totiusque
« reliquæ disciplinæ, quum meos et ejus qui me
« edocuit liberos, tum discipulos qui medico jure-
« jurando nomen fidemque dederint, participes fac-
« turum, aliorum præterea neminem.

« Victus quoque rationem, quantum facultate et
« judicio consequi potero, ægris utilem me præ-

(1) *De decenti habitu*, sect. I, p. 25.

« scripturum, eosque ab omni noxa et injuria vindi-
« caturum.

« Neque cujusquam precibus adductus, alicui
« medicamentum lethale propinabo, neque hujus rei
« auctor ero.

« Neque simili ratione mulieri pessum subdititium
« ad fœtum corrumpendum exhibebo; sed castam et
« ab omni scelere puram, tum vitam, tum artem
« meam perpetuo præstabo.

« Neque vero calculo laborantes secabo, sed ma-
« gistris ejus artis id muneris concedam.

« In quamcumque autem domum ingressus fuero,
« ad ægrotantium salutem ingrediar, omnem injuriæ
« inferendæ, et corruptelæ suspicionem fugiens, tum
« vel maxime rerum venerearum cupiditatem, erga
« mulieres juxta ac viros, tum ingenuos, tum servos.

« Quæ vero inter curandum, aut etiam medicinam
« minime faciens, in communi hominum vita, vel
« videro, vel audiero, quæ minime in vulgus efferri
« oporteat, ea arcana esse ratus, silebo.

« Hoc igitur jusjurandum si religiose observaro,
« ac minime irritum fecero, mihi liceat, cum summa
« apud omnes existimatione perpetuo vitam felicem
« degere, et artis uberrimum fructum percipere.
« Quod si illud violavero et pejeravero, contraria
« mihi contingant (1). »

(1) *Hipp. jusjur.*, sect. I, p. 1.

V.

Si jam ad quædam ipsi medicinæ propiora venimus, Hippocratem non minus in describendis morborum causis, vel remediis, quam in medicis ad virtutis studium cohortandis excellentem, non sine aliqua admiratione videbimus. Is est enim scribendi ordo et lepos, ea res quasque observandi diligentia, ea ratiocinandi vis et continuata series, ut ejus opera assidua manu versans, socraticorum libros, in primisque Aristotelis, versari facile persuasum habeas.

Primum enim duas diligenter excutit has quæstiones: an sit, qualis sit ars medica.

Medicina quidem, nisi vere exsistat, ars vocari non potest. Si enim quod omnino non sit, idem esse quodam modo credis, pugnantia profecto credis. Neque ulla forma est, quæ non sit alicujus rei vere exsistentis. Medicinam autem vere exsistere quis denegare audeat? Cujus ope, fortunæ an medicinæ, sanantur, qui ægrotant? Profecto non fortunæ (1). Quod enim temere fiat, nihil prorsus esse constat. Contra vero, quidquid fit, id aliqua e causa oriri, id aliquem ad finem ultro spectare pro comperto habere oportet (2). Est igitur ars quædam medicina.

Quam si definiri velis, medicinam eam esse dicam, quæ valentes tueatur, a morbis ægrotantes vindicet, ab

(1) *De Arte*, sect. I, p. 3.
(2) *Ibid.*, p. 4.

iis autem qui nullo modo sanari possunt abstineat (1).

Cæteris etiam artibus longe præstat medicina. Cum autem plerique medicorum nihil quæsitum, nihil perspectum, nihil animo comprehensum teneant, eo fit ut contempta ab omnibus jaceat. Sic innoxia culpatur medicina, ob fictitiorum doctorum culpam, qui histrionum simillimi, medicinæ personam præ se ferunt, formam autem minime intus habent. Digni, me quidem judice, qui non tantum ignominia, ut solent, sed pœna supplicioque affligantur (2).

Non enim cuilibet medico fieri concessum est, cum ad eum efficiendum sex quædam omnino necessaria requirantur: natura scilicet, qua repugnante, irrita sunt omnia, tum artis doctrina, tum locus studiis aptus, tum primis ab annis institutio, denique industria et tempus (3).

Quo modo enim quæ terra gignuntur, eodem medicæ artis cognitio se habere mihi videtur. Agri enim partes agit natura, doctrina seminum. Necnon primis ab annis institutio tempestivæ sationi respondet; locus vero disciplinæ accommodatus, aeri ambienti, ex quo plantis omnibus suppetit alimentum. Diligens studium velut quædam agricultura est. Tempore denique adjuvante, omnia hæc, quum inter campos, tum apud animos, magis ac magis nutrita augescunt, et exculta efflorescunt (4).

Ut pauci veram adipiscuntur scientiam, plerique

(1) *De Arte*, p. 3.
(2) *Hipp.*, *Lex*, sect. 1, p. 2.
(3) *Ibid.*
(4) *Ibid.*

autem in opinione versantur, ita sexcenti nomine, vix tres aut duo reipsa medici evadunt (1).

Ni fallor equidem, tibi ea, quamvis angustiori spatio contracta, legenti, jam ecce occurrunt et Socrates in quidlibet definiendo acutissimus, et Plato in philosophiam defendendo acerrimus, in scientiam ab opinione distinguendo constantissimus, et Aristoteles in cogitando sagacissimus, in scribendo omnium gravissimus.

Quibus ita probe stabilitis et fixis, qua via, et ut verbum ipsum referam, μεθόδῳ, medicam artem aggrediendum sit, velut unus e peripateticis, Hippocrates accuratius disserit.

Usus cum ratione conjunctus, τριβὴ μετὰ λόγου, ea est tutissima ad morborum causas et remedia μέθοδος. « Ratiocinatio enim in eorum quæ sensu compre- « henduntur recordatione quadam consistit. Sensus « namque, evidenti imaginatione conceptus, primam « eorum, quæ subjecta sunt, perpensionem suscipit, « et ad cogitationem transmittit. Hæc vero ubi rece- « perit, frequenterque quibus, quando et qualiter « convenit, ista conservarit, in sese reponit et recor- « datur. Ratiocinationem igitur plurimum laudo, si- « quidem ex fortuita occasione initium ducat, atque « ipsam delationem ex apparentibus via quadam per- « sequatur.....

« Quod si non ex evidenti incursione, verum ex « probabili rationis fictione initium ducatur, plerum- « que gravem et molestam infert affectionem. Plurimi

(1) *Hipp.*, *Lex*, sect. 1, p. 2.

« vero nulla via rem ipsam aggrediuntur. Quidnam
« enim mali contingat, si mercedem auferant, qui
« medica opera publice male exercent? At nunc ægro-
« tis ipsis, cum sint extra culpam, non satis esse vis
« morbi visa est, nisi etiam medici imperitia acce-
« deret.

« Ac de his quidem hæc satis dicta sunt, nisi
« quod nullum ex his quæ sola ratione concluduntur
« fructum percipere licet, verum ex his quæ operis
« demonstrationem habent. Fallax enim et ad erro-
« rem proclivis asseveratio, quæ est cum garrulitate
« conjuncta. Quocirca his quæ fiunt in universum
« insistere oportet, et circa ea vel maxime versari,
« si quis facilem, et eum extra culpam habitum,
« quem certe medicinam vocamus, sibi comparare
« velit. Maximam enim utilitatem tum ægrotis, tum
« iis qui illorum res administrant, comparabit (1). »

Ergo duabus animi facultatibus, quarum unaquæque proprio quodam munere fungitur, vera conflatur naturam investigandi ars et ratio. Primum scilicet *usu*. Usus autem nihil nisi sensuum intentio quædam ad res subjectas penitus cognoscendas multoties repetita et renovata. Deinde etiam *ratione*. Ratio autem nihil nisi mens ipsa, quæ, cum singularia multa sensibus jamjam perceperit, ea diligentius perpensa ad quoddam universum redigit. Necnon memoria opus est, quæ, quidquid apprehenderint sensus, ordine conservet, et menti in summam effingendum tradat. In primis autem notandum est ratiocinationem quamlibet

(1) *Præceptiones*, sect. I, p. 21, 26.

nullius esse momenti, nisi ab amplissimo usu initium ducat.

Ea est enim usus utilitas, aut etiam necessitas, Hippocrate judice, ut medicum quæ cæteri, vel rudes et ignari, aut ipsi viderint, aut ab aliis audierint, accurate sciscitari moneat. « Neque vero pigeat, « ex plebeiis sciscitari, si quid ad curandi opportu- « nitatem conferre videatur. Sic enim censeo artem « universam commonstratam fuisse, quod singula ex « fide observata, et ad eadem aggregata fuerint (1). »

VI.

Notum et pervulgatum est Aristotelem, quotiescumque opus aliquod scribendum suscipit, seu de summis rerum principiis, seu de animo, seu de moribus, primum quid priores de re eadem aut scripserint, aut excogitaverint, narrare, perpendere, refellere, approbare solitum. Quam philosophandi rationem plerique, præsertim hac nostra ætate, multum, nec immerito, collaudavere. Plaudant igitur et Hippocrati, qui, sive toti incumbat medicinæ, sive alicui hujus parti, qualis antea sese habuerit primum memorat, et, si quæ feliciter inventa sint, ea libenter refert.

Cæteros enim inter libros Hippocratis, ille maxime eminet, quem *De prisca medicina* condidit. In quo, fateor, nec primam artis medicæ originem curiosius scrutatur, nec temporum ordinem diligentius sequi-

(1) *Præceptiones*, sect. I, p. 26.

tur, nec majorum nomina religiosius exhibet ac reveretur. Verum, quod multo majus est, quasdam veterum doctrinas de morborum causis, de remediis, clarius repetit, callidius excutit, probabilius corrigit. Ita, quidquid parvi refert, negligit moræ impatiens, quidquid magni, ostentat medicinæ amicissimus. Aristotele certe contractior, forte non minor.

Neque pristinæ medicinæ apud alios libros immemorem esse Hippocratem tibi in animum inducas. Quid enim priores quæsiverint, quid invenerint, semper, ubique, secum reputat. Quod etiam, ne legentem lateat, ipse non semel declarat. Sic enim *De Carnibus* tractaturus :

« Equidem adhuc usque communibus sententiis,
« tum eorum qui ante me fuerunt, tum etiam meis,
« usus sum. Necesse enim est, eum, qui hanc de
« arte medica tractationem suscipere volet, com-
« mune sententiis principium ponere (1). »

Sic *De victus ratione :*

« Si quis ex his, qui antea de hominis victus ra-
« tione, quæ ad sanitatem spectat, scripserunt,
« omnia in totum recte cognovisse, et quantum hu-
« manus animus complecti potest, scriptis compre-
« hendisse mihi videretur, satis esse putarem, si
« aliorum labores, quos recte susceptos esse existi-
« marem, ad eorum cujusque utilitatem accommo-
« darem. At vero cum multi jam ea de re scripse-
« rint, nullus tamen, quid scribendum fuerit, recte
« mihi novisse videtur. Alii quidem aliud attigerunt,

(1) *Præceptiones*, sect. III, p. 248, 249.

« totum vero ne unus quidem adhuc ex his, qui ante « exstiterunt. Neque tamen eorum quisquam repre- « hendendus, quod invenire non potuerint, quin « potius laudandi omnes, quod quædam investiga- « tione aggressi sunt. Neque ergo, quæ recte dicta « non sunt, arguere decrevi, sed his, quæ abunde « sunt cognita, assentiri in animo habeo.

« Quæ igitur recte ab iis, qui ante nos fuerunt, « dicta sunt, de his fieri non potest, si aliter scri- « batur, ut recte scribam. Quæ vero non recte dixe- « runt, si ea quidem, quod ita non se habeant, « redarguero, nihil profecero. At eorum quodque, « quo modo recte se habere videatur, exponere et « declarare est animus. Hanc autem orationem ideo « præponendam duxi, quod plerique, ubi aliquem « prius de re aliqua disserentem audierint, eum, « qui posterius his de rebus disceptat, non appro- « bant, nescientes ejusdem mentis esse, de his, quæ « recte dicta sunt, cognoscere. His ergo, quæ recte « dicta sunt, velut dixi, assentior; quænam vero « sint, quæ non recte fuerint cognita, aperiam. « Quin etiam, quæ eorum nullus, qui ante me fue- « rint, explicare aggressus est, qualia fuerint de- « monstrabo (1). »

VII.

Huc usque, vel Socratis, vel Platonis, vel Aristotelis instar, Hippocrates de arctissimo medicinæ

(1) *Præceptiones*, l. I, sect. IV, p. 340.

cum sapientia fœdere, de sapientia vere approbanda, de scientiæ natura, de moribus, de methodo, de veterum placitis, quid sentiat, nobis interrogantibus, vicissim explicuit. Jam vero instat ut eumdem consideremus de natura rerum, de homine, de animo, de mente philosophantem, id est proprie philosophantem.

I. Quod calidum vocamus, ὅ καλέομεν θερμόν, Ignis scilicet, hoc est omnium principium et origo. Cujus quidem naturam si paululum explanari velis, nec natum, nec moriturum, omni tempore per se exstat. Cætera percipit, et videt, et audit; nec præsentia tantum, sed etiam futura pernoscit. Quum autem ignis pars maxima, inter rerum nescio quam perturbationem, in sublime secessisset, eam veteres Æthera appellarunt. Reliqua pars, aut locum infimum sortita, terra evasit; aut ætheri propior, aer; aut terræ, aqua. Ex his autem quatuor elementis, cum in orbem perpetuo agitentur, omnia perpetuo exoriuntur (1). Nec quicquam, in hoc fatali rerum omnium motu, aut vere nascitur, aut omnino perit; sed nunc miscetur, nunc discernitur; nunc augetur, nunc imminuitur. Neque enim vel unum animal interire potest, quin cætera omnia statim intereant; neque quod non est, id generari potest, cum non sit, unde generetur (2).

II. Errant igitur maxime philosophi qui, cum unum

(1) *De carnibus*, sect. III, p. 249.
(2) *De victus ratione*, l. I, sect. IV, p. 342.

esse, quodcunque est, mordicus asseverent, hominem aut igne, aut aere, aut aqua, aut terra constare simplicem contendunt. Errant etiam medici qui, iisdem fere opinionibus imbuti, eum aut sanguine, aut bile, aut pituita simpliciter informari pro vero habent. Quum enim nihil usquam unum sit, nec unus est homo. Eum autem fingè unum, jam nec dolet, nec dolere potest, cum nihil exsistat, a quo doleat, aut dolere possit. Finge dolentem, necesse est, et quod dolori medetur, id esse unum. Cum autem homo quilibet sæpius doleat, cum multorum dolorum multa sint remedia, inde concludendum plurima in hominum corpore magisve minusve inter sese commixta et contemperata (1).

Quæ autem sint ea elementa si me interroges, en tibi respondebo hominis corpus in se sanguinem, et pituitam, et bilem duplicem, flavam nempe et *atram*, simul continere; easque esse causas cur nunc sanus valeat, nunc doleat languidus (2).

III. Si autem quis animus corpus servet integrum et moveat, si quis sentiat, quis intelligat scire placet, primum qualis sit ille *spiritus*, qui græce πνεῦμα vocatur, attentius nobis expendendum est.

Summam esse aeris in omni Natura potestatem nemo sapiens negare possit. Quid enim sine aere fit usquam? Aut a quonam ille abest? Omne cœlum inter et terram spatium interjacens continuo aere completur; neque ventus alius est quam copiosi aeris

(1) *De nat. homin.*, sect. III, p. 224, 226.
(2) *Ibid.*

quidam impetus. Aere ignis nutritur. Aere astra diriguntur, onerariæ naves jactantur, proceræ arbores e terra radicitus evelluntur. Aere ver ridet, æstas floret, autumnus nitet, hiems riget. Aere etiam omnia, ubicumque sint, animalia spirant, unde spiritus latine, πνεῦμα (πνεῖν) apud Græcos appellatus.

Spiritus autem ille omnibus animantibus atque etiam homini vitæ propria est causa, proprius fons. Ubi enim adest, vivunt; ubi abest, moriuntur. Cibo, potu quolibet vel plures dies vivens quisque abstinere potest; spiritu nemo unquam, non periturus, potest. Cætera omnia quæ apud hominem aguntur aliquando cessant intermissa, spiritus vero semper et inducitur et emittitur. Qui si deficit, et vita deficit (1).

Ita enim se res habet. Est quidam intimo in corde ignis aut calor, qui suapte natura circumfusum aerem vehementer attrahat. Aer autem, ubi introducitur, fit spiritus, et, quum cor omnium quæ sunt in homine calidissimum sit, fit calidus (2). Calidior autem spiritus vitæ noxius. Mox igitur erumpit, et viam sibi aperit, et foras effertur. Nec tamen cum illo vita abit. Cor enim, cum semper incalescat, semper novum, quo recreetur, ad se trahit spiritum. Sic, tum ineunte frigido spiritu, tum exeunte calido, continuo vivitur (3).

Neque tamen arteria una spiritus via, aut cor unum

(1) *De flatibus*, sect. III, p. 296, 297.

(2) *De carnibus*, sect. III, p. 250.

(3) *De natura pueri*, sect. III, p. 235, 236. — *De victus ratione*, l. II, sect. IV, p. 353. — *De Arte*, sect. I, p. 5, 6, 7, etc.

receptaculum. Cum enim omnes venæ cavæ sint, omnes eum recipere possunt; cumque, perpetuo motæ et agitatæ, plurimum caloris habeant, omnes eum non sine vi quadam attrahunt (1). Hæc sunt corporis spiracula, quorum ope aer per totam molem primum deducitur, deinde vero emittitur. Non enim fieri potest ut spiritus aut hic aut illic immotus consistat, sed sursum ac deorsum indesinenter feratur necesse est. Qui si ab aliqua parte interceptus abesset, statim ea pars et motus, et sensus, et vitæ exsors langueret (2).

Hæc apud libros *De flatibus*, et *De carnibus*, et *De natura pueri*. Non autem, ut fatear, sibimetipsi Hippocrates semper et ubique consentit. Imo vero priori adversatus opinioni, alteram quamdam, vel contrariam, seu de spiritus origine, seu de influxione, quibusdam aliis locis adumbrat. Primum de origine :

« Mens humana, inquit, in sinistro ventriculo a « natura insita est (3), et reliquæ animæ imperat. « Neque vero nutritur cibis ac potibus, qui ex infe- « riore ventre prodeunt, verum ex clara et pura « abundantia ex sanguinis secretione orta. Alimentum « autem ei abunde suppetit ex proximo sanguinis « conceptaculo (4)...... »

Dein de influxione :

« Quum quis, inquit, ad se spiritum attraxerit, « primo in cerebrum defertur, itaque in reliquum

(1) *De carnibus*, sect. III, p. 250.
(2) *De morbo sacro*, sect. III, p. 309.
(3) Adi *Essais de Colebrooke*, 2°. Mimansa, système Védanta.
(4) *De morbo sacro*, sect. III, p. 309.

« corpus aer dispergitur, in cerebro suum relinquens « vigorem, et quidquid habuit prudentiæ et mentis. « Quod si primum ad corpus deveniret, posteaque « ad cerebrum, relicto in carnibus et venis judicio, « in cerebrum calidus adhuc, et minime sincerus, « sed carnium et sanguinis humori permixtus su- « biret, proindeque neque amplius exacto purus « esset (1). »

IV. Quæ quum ita sint, neque de animi sede, et, ut ita dicam, domicilio, una et eadem semper sententia. Quippe enim si exterior spiritus, innato igne attractus, cor primum per arteriam petit, aut si e sanguinis fluctibus interior extrahitur, hic etiam vigeat animus oportet. Si contra, dum omnino frigidus est, statim ad cerebrum per nares invehitur, nec, nisi quodam intermisso tempore, ad cor descendit, cerebrum animus teneat et occupet necesse est. Hippocrates autem utramque vicissim opinionem aut confirmat aut defendit.

Eo enim loco, ubi cordis naturam et ejus ventriculos uberius describit: « Hi sunt, inquit, humanæ « naturæ fontes, hincque flumina excurrunt, quibus « corporis alveus irrigatur. Atque hæc vitam ho- « mini conferunt, et, si resiccata fuerint, homo pe- « rit (2). » Addit etiam *vitalem ignem* intra sinistrum ventriculum contineri. Denique, paulo infra ea quæ jam notavimus verba scribit: « Mens humana in si-

(1) *De morbo sacro*, sect. III, p. 309.
(2) *De corde*, sect. III, p. 269.

« nistro ventriculo a natura insita est, et reliquæ « animæ imperat (1). »

Alio autem libro, qui est *De morbo sacro*, hanc eamdem sententiam acerrimus ipse refellit :

« At *septum transversum* (φρένες Græcis dictum) « temere ac fortuito sortitum nomen videtur, et ex « instituto, non re vera, neque a natura. Neque « sane video quamnam vim ad prudentiam et intelli- « gentiam septum transversum habeat, præterquam « si quis ex insperato gaudio aut tristitia affectus « fuerit, salit, et anxietatem præ tenuitate exhibet, « et quod in corpore vehementer distenditur, neque « ventriculum habet, in quem bonum vel malum « illapsum suscipiat, sed ab eorum utroque propter « nativam imbecillitatem perturbatur. Siquidem nihil « prius, quam cætera, quæ in corpore insunt, sen- « tit, sed frustra hoc nomen et causam habet, non « secus ac, quæ cordi annexæ sunt, aures appellatæ, « cum nihil ad auditionem conferant.

« Quidam autem nos corde sapere dicunt, quod- « que ipsum tristitiam et curam sentit. Verum non « ita res se habet, sed contrahitur quidem velut sep- « tum transversum, atque etiam magis easdem ob « causas. Ex toto enim corpore ad ipsum venæ « tendunt, illicque clauduntur, ut sentiat cum quis « dolore aut molesto aliquo sensu contrahitur. Cum « enim molestiam sentit corpus, inhorrescere, et « distendi necesse est, idemque contingere si quis « summo gaudio afficiatur. Quamobrem cor præcipue

(1) Adi *De ossium natura*, ubi scribitur : « ex omni corpore potissimum circa thoracem sensus inest » (sect. III, p. 280).

« et septum transversum sentiunt, neutrum tamen « prudentiæ jus habet, sed horum omnium cere- « brum auctor est.

« Plurimam vim hominis cerebrum habere existi- « mo. Hoc enim, si sanum esse contigerit, nobis, « quæ ab aere fiunt, indicat. Prudentiam vero ei « aer subministrat. Oculi autem, aures, lingua, « manus et pedes, ea quæ cerebrum cognoscit ad- « ministrant. Quantum enim aere communicaverit, « tantum universo corpori prudentia accedit.

« Ac nosse homines convenit, non aliunde nobis « voluptates, lætitias, risus et jocos, quam hinc « contingere, itemque dolores, molestias, tristitias « et ejulatus. Hacque parte præcipue sapimus, et « intelligimus, et videmus, et audimus, et turpia et « honesta cognoscimus, malaque et bona, itemque « quæ jucunda sunt et injucunda, partim quidem « consuetudine discernimus, partim vero utilitate « percipimus. Hac etiam parte voluptates et moles- « tias temporibus dignoscimus, neque eadem nobis « placent etc., etc., (1). »

V. Ita animus quum aut in frigido cerebro, aut in calido corde insit, et inde per totam molem sese in- sinuet (2), quoddam conjunctissimum cum corpore habet commercium. Ut corpus temperatur, sic tem- peratur et ipse.

« Si quod in igne maxime est humidum, et in aqua

(1) *De morbo sacro*, sect. III, p. 308, 310.

(2) « In omne animal, quod respirationem habet, irrepit. » (*De victus ratione*, sect IV, p. 347.)

« maxime siccum, in corpore temperata fuerint, « prudentissima efficiuntur, quoniam ignis quidem « ab aqua humiditatem, aqua vero ab igne siccita- « tem habet. Utrumque autem hoc modo sibi maxime « satis esse videtur. Neque ignis alimenti inopia longe « proficiscitur, neque aqua motionis penuria admo- « dum sublevatur. Utrumque igitur, tum hoc modo « sibi satis est, tum inter se temperata (1).

« Quod si ignis et aquæ purissimæ temperationem « acceperit, et ignis aqua paulo inferior fuerit, ii « quidem etiam prudentes sunt, plus tamen illis « quam in priore temperatione deest, quoniam ignis « ab aqua superatur, tardamque motionem efficiens, « segnius in sensus illabitur (2).

« At si in aliquo inferiorem, quam aqua, poten- « tiam ignis sortitus sit, tardiorem eum esse necesse « est, appellanturque ejus modi stolidi. Nimirum « enim, quum tardus sit ambitus, paulatim sensa- « tiones allabuntur, et quæ acutæ exsistunt, sensim « etiam commiscentur, propter ambitus tarditatem (3).

« Quod si magis ab aqua ignis superetur, hos jam « alii dementes, alii attonitos appellant. Hi plorant « quum a nemine vexentur, aut verberentur, mi- « nime metuenda metuunt, molestia afficiuntur, ubi « minime convenit, et sentiunt quæ prudentes non « deceant (4).

« At si aqua inferiorem, quam ignis, facultatem

(1) *De victus ratione*, sect. IV, p. 350.

(2) *Ibid.*, p. 351.

(3) *Ibid.*

(4) *Ibid.*, p. 351, 352.

« adepta sit, cum sinceram contemperationem ha-
« beant, sanitate corporis et prudentia valent. Ejus-
« modi animus cito, quæ ingruunt, percipit, neque
« frequenter ad alia se transfert (1).

« Quod si adhuc magis aquæ vis ab igne superetur,
« eo acutiorem quidem animum esse necesse est,
« quo citius movetur, et ad sensationes celerius in-
« currere, verum priore minus stabilem, quoniam,
« quæ adsunt, secedunt, et in pulmonem celeri
« impetu feruntur (2).

« Quod si adhuc magis aqua ab igne superetur,
« ejusmodi animus valde acutus est, eosque somniis
« agitari necesse est. Hos autem subfuriosos vo-
« cant.... — Prudentis igitur et imprudentis animi
« hæc contemperatio causa est, velut a me scriptum
« est; victus tamen ratione melior et deterior fieri
« potest (3). »

Quæ quum ita sint, nec idem animus inesse potest et viris et feminis. Alii enim, corpore sicciores, fortiorem exercere debent animum; aliæ, humidiores, segniorem (4). Neque etiam apud quemque hominem constanter eodem modo se habet. Ut suum cuique ætati corpus, ita suus animus (5). Nec sui ipsius similis constat ubique terrarum. Quum enim, mutato loco, mutetur corpus, non potest non simul mutari et animus. Age, confer Asiam et Europam. Qui illam

(1) *De victus ratione*, p. 352.
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*, p. 352, 253.
(4) *Ibid.*, p. 350.
(5) *Ibid.*

incolunt, quum nimio urantur calore, imbelles et ignavi jacent, ad voluptatem propensiores; qui hanc, quum sol benignius illuceat, fortes et generosi eriguntur, ad laborem, ad artem, ad scientiam paratiores (1).

Quum autem is sit corporis et animi concentus, ea consociatio, qualis sit alter, alterum considerando; facile dijudicare queas. Ita, ut aliquid exempli in medio apponam, quicumque fulvo sunt colore, aduncis naribus, parvis oculis, ii maligni. Qui vero magno corpore, raris capillis, hæsitanti lingua, boni (2).

VI. Non ita tamen animus corpori inservit, ut per se nihil agere queat. Contra vero, quiescente corpore, majora perficit, et vi majori :

« Animus enim vigilat, et cum quidem corpori
« subministrat, in multas partes divisus, sui tantum
« rationem non habet, sed singulis corporis partibus
« partem quamdam distribuit, sensibus nimirum, ad
« audiendum, videndum, tangendum, ambulandum,
« agendum, denique ad omne corporis obsequium,
« adeoque ipsa mens sui solum rationem non habet.
« Cum vero corpus quiescit, animus movetur, et in
« corporis partes subrepens, domum suam regit;
« omnesque corporis actiones obit. Neque enim corpus,
« dum dormit, sentit, ipse vero vigilans cognoscit;
« quæ sub visionem et auditionem cadunt, videt et

(1) *De aere, locis et aquis*, sect. III, p. 288 et sequent.
(2) *De morbo vulg.*, l. II, sect. VII, p. 1040 et 1050.

« audit, vadit, tangit, tristitia afficitur, secum co-
« gitat, ac quæcumque corporis et animi officia sunt,
« ea omnia per somnum animus peragit (1). »

VII. Animus igitur corpus regit et moderatur, mens autem ipsum animum (2). Quæ, quum cæteris animi partibus excellentior præstet, tamen nec natura, nec origine discrepat. Quippe enim eam aut ex circumfuso aere, aut ex infuso sanguine, sive apud cerebrum, sive apud cor, excerptam supra vidimus. Quam aut spiritum ipsum, aut velut spiritus florem quemdam merito dixeris (3).

Cæterum, undecumque mens oriunda sit, magna est eam inter et sanguinem concordia :

« Imprimis autem, inquit Hippocrates, in animum
« induco, ex iis, quæ in corpore insunt, nihil magis
« ad intelligentiam conferre, quam sanguinem. Is
« namque ubi consistente habitu persistit, prudentia
« etiam constat. Permutato vero sanguine, simul
« quoque intelligentia concidit. Cujus rei multa sunt
« testimonia (4). »

Plurimas partes mens habet. Sic enim Hippocrates :

« Per septem figuras *sensatio* homini contingit :
« auditione soni percipiuntur ; — visione manifesta
« cernuntur ; — nasus odores, — lingua suavia et
« insuavia discernit ; — os sermonem format ; —
« corpore calidi et frigidi tactus percipitur ; — spi-

(1) *De insomniis*, sect. IV, p. 375, 376.
(2) *De morbo sacro*, sect. III, p. 309.
(3) Adi quæ supra exponuntur.
(4) *De flatibus*, sect. III, p. 200.

« ritus intro et foras permeat. Et per hæc hominibus « *cognitio* contingit (1). »

Alias idem eodem fere modo :

« Ea omnia in visionis,—auditionis,— tactus,— « narium,—linguæ,—et *intelligentiæ sensum* cadunt, « ex quibus omnis cognitio nostra constat (2). »

Nunc autem si alia cum aliis conferas, inde primum patet illum *spiritum intro et foras permeantem*, qui supra declaratur, nihil aliud esse quam hanc *intelligentiam*, quæ infra; deinde, quæcumque cognoscunt homines, ea omnia vel a sensibus vel ab intelligentia oriri; postremo, ipsam intelligentiam non maxime a sensibus differre, cum hic et illic sensus appelletur.

Alio autem loco (3) pro visione quadam habetur : « *ὅσα γὰρ τὴν τῶν ὀμμάτων ὄψιν ἐκφεύγει, ταῦτα τῆς γνώμης ὄψει κεκράτηται.* » Verum id esse velut dicendi quoddam artificium plane demonstrant, quæ continuo sequuntur : « Ille enim (medicus nempe) cum neque doloris « causam oculis cernere, neque auditione cognos- « cere queat, ratiocinatione consequitur (4). » Jamque antea Hippocrates in eodem *De arte* libro, alia videndo percipi, alia intra se cogitando intelligi confirmaverat (5).

VIII. Quonam autem pacto ea quæ extra sunt sensibus percipiamus agitanti res ita sese habere vi-

(1) *De victus ratione*, sect. IV, p. 346.
(2) *De officio medici*, sect. VI, p. 740.
(3) *De Arte*, sect. I, p. 6.
(4) *Ibid.*, paulo infra.
(5) *Ibid.*, p. 3.

dentur. Primum circumstantia tum oculis cernimus, tum auribus audimus, tum naribus olfacimus, tum lingua gustamus, tum corpore toto tangimus (1). Deinde eæ causæ sunt cur unoquoque sensuum unamquamque rerum propiores attingamus :

Ad oculos venulæ tenues ex cerebro, per ambientem membranam, protenduntur. Eæ autem purissimum quemdam humorem, quo procreetur et alatur visio, deferunt. Non nisi in illo humore rerum expressæ species apparent. Qui si aliqua de causâ turbetur, statim species turbantur et ipsæ. Jam non res aspicimus, sed nescio quas vanas, velut avicularum, imagines. Quod si forte siccatus avolet, jam nulla superest videndi potestas (2). Necnon lumine opus est. Verum hæc omnia ipse Hippocrates alibi fusius explicat, hunc in modum :

« Eam ob causam videt (homo), quod a cerebri « membrana vena ad utrumque oculum per os per- « tinet. Per has duas venas ex glutinosa cerebri « parte, id quod est maxime tenue, veluti per colum « transmittitur, atque ideo circum se tunicam, quæ « aeri obversatur, et ad quam venti ingruunt, talem « facit, quale est ipsum oculi pellucidum, eadem « plane ratione, quam de cæteris tunicis diximus. « Sunt autem multæ hæ tunicæ, quæ oculi pellucido « prætenduntur, ipsique sunt similes. In hoc enim « pellucido lumen et splendida cuncta lucem reflec- « tunt. Per hoc igitur, in quo lumen reflectitur,

(1) *De victus ratione*, sect. IV, p. 346. — *De officio medici*, sect. III, p. 740.

(2) *De locis in homine*, sect. IV, p. 408.

« visio fit. Quod vero minime est splendidum, neque « oblucet, per illud visio non fit (1). »

In utraque capitis parte, per circumjacentem aurium membranam aperitur via quædam ad cerebrum. Ubi sonus quidam, hoc foramine introiens, ad cerebrum pervenit, exauditur. Quæ autem circa aures foris patescunt vacua, ea, quum sonitus et clamores excipiant et magis magisque amplificent, auditum quam maxime adjuvant (2). Sed hæc copiosius Hippocrates :

« Aurium foramina ad os durum et siccum lapidi « simile perveniunt, cui cavitas fistulosa addita est. « Soni autem in durum impingunt, et os cavum per « ipsum durum insonat. Pellicula vero in ipso meatu « auditorio, juxta os durum, tenuis est, ad instar « telæ araneæ, præ reliquis pelliculis tenuissima..... « Cum ergo plurimum resonat, tum maxime audimus. « Etsi nonnulli.... cerebrum ipsum sonum facere « dixerunt, quod tamen nullo modo fieri potest. Ce« rebrum enim ipsum humidum est, et ipsum am« biens membrana humida et crassa, eamque ossa « circumdant. Atqui nullum humidum sonum facit, « sed quæ sicca sunt. Quæ vero resonant, audi« tionem faciunt (3). »

Ad aliud quoddam perficiendum munus, aliter instructæ nares. Iis enim nec humor inest, ut oculis, nec foramen, ut auribus, sed *laxum quiddam*, velut spongia; ideoque, ubi majori distant intervallo, non

(1) *De carnibus*, sect. III, p. 253.
(2) *De locis in homine*, sect. IV, p. 408.
(3) *De carnibus*, sect. III, p. 252.

jam sentimus odores (1). « At vero cerebrum odo-
« randi facultatem habet, cum humidum exsistat,
« aridorum odorem cum aere, per cartilaginosa cor-
« pora, quæ sicca sunt, attrahens. Cerebrum enim
« ad nasi cavitatem progreditur, hacque parte nullum
« ei os obtenditur, sed mollis cartilago spongiæ instar,
« quam neque carnem, neque os appellare queas (2). »

Quod autem ad reliquos sensus attinet, nihil habet Hippocrates quod referri possit, nisi hoc unum, gustum scilicet lingua uti, tactum corpore universo (3). Qui, ut crassiora percipiunt, ita et ipsi hebetiores (4).

IX. Quum autem cæteris animi facultatibus vocem edendi vim admuneraverit, ea qualis sit, unde principium ducat, qua via foras pergat, quibus et quam diversis partibus immoderate profusa fingatur et terminetur, non sine copia et varietate quadam sic exponit :

« Sermonis autem in homine causa est, quod
« totum corpus spiritum intro trahit, eumque plu-
« rimum in suas quisque cavitates. Is vero per inane
« foras pulsus, strepitum facit. Caput enim resonat,
« lingua vero in faucibus interseptum suo appulsu
« format, et ad palatum ac dentes impingens, clarum
« reddit. Quod nisi lingua suo semper appulsu for-
« maret, non distincte homo loqueretur, sed sin-
« gula unam natura vocem ederent. Cujus rei indicio

(1) *De locis in homine*, sect. IV, p. 408.
(2) *De carnibus*, sect. III, p. 252.
(3) *De victus ratione*, sect. IV, p. 346.
(4) *Ibid.*, p. 351.

« sunt muti a primo ortu, qui distincte loqui ne-
« queunt, sed solam vocem edunt. Neque vero, si
« quis spiritu foras emisso loqui conetur, id facere
« queat, quod hinc constat. Qui magnam volunt vocem
« edere, ii attractum externum spiritum foras pro-
« pellunt, et quamdiu perdurat spiritus, magnam
« vocem fundunt, quæ postea deficit..... Ex quibus
« manifestum est spiritum vocem edere (1). »

X. Quæ sit intelligentiæ natura, quæ potestas, paucioribus locis, contractiori sermone, Hippocrates vix præceps indicat. Quum autem verba ab eo ubique usurpata ea sint, λόγος scilicet (2), aut λογισμός (3), aut διάνοια (4), jam inde concludas licet, intelligentiam, qualiscumque sit, non multum ab ratiocinandi facultate distare. Idem vero clarius intelligitur ex his, quæ et me scribere, et te perlegere operæ pretium est :

« Ille enim, cum neque doloris causam oculis cer-
« nere, neque auditione cognoscere queat, ratioci-
« natione consequitur, λογισμῷ μετήει (5). »

« Recte convenienterque ratiocinando investigasse
« mihi videntur (6). »

« Ista vero ex rebus externis manifeste percipere
« licet, καταμανθάνειν δὲ δεῖ αὐτὰ ἔξωθεν ἐκ τῶν φανερῶν (7). »

(1) *De carnibus*, sect. III, p. 253.
(2) *Præceptiones*, sect. I, p. 25.
(3) *Ibid.* — *De Arte*, sect. I, p. 6. — *De prisca medicina*, sect. I, p. 13.
(4) *Præceptiones*, sect. I, p. 25, 26.
(5) *De Arte*, sect. I, p. 6.
(6) *De prisca medicina*, sect. I, p. 13.
(7) *Ibid.*, p. 17.

« Ratiocinatio in eorum quæ sensu comprehen-
« duntur recordatione consistit. — Sensus enim evi-
« denti imaginatione conceptus, primam eorum quæ
« subjecta sunt perpessionem suscipit, et ad cogni-
« tionem, εἰς διάνοιαν, transmittit. — Hæc vero ubi
« receperit, frequenterque quibus, quando et qualiter
« convenit, ista conservarit, in sese reponit et re-
« cordatur. — Ratiocinationem igitur plurimum laudo,
« siquidem ex fortuita occasione, ἐκ περιπτώσιος, ini-
« tium ducat, et ipsam delationem ex apparentibus
« via quadam persequatur, καὶ τὴν καταφορὴν ἐκ τῶν φαινο-
« μένων μεθοδεύῃ. — Ex his enim quæ manifesto perfi-
« ciuntur, si ratiocinatio initium duxerit, in mentis
« potestate, quæ singula ab aliis recipit, esse depre-
« hendetur..... — Mens autem ubi ab ea (natura)
« acceperit, quemadmodum ante dixi, postea ad
« veritatem deducit, ἡ δὲ διάνοια παρ' αὐτῆς λαβοῦσα, ὡς
« προσεῖπον, ὕστερον εἰς ἀληθείην ἤγαγεν (1). »

« Quocirca his quæ fiunt in universum insistere
« oportet, et circa ea vel maxime versari, διὸ καὶ
καθόλου δεῖ ἔχεσθαι τῶν γινομένων, καὶ περὶ ταῦτα μὴ ἐλαχίστως
γίγνεσθαι (2). »

Quibus perspectis jam planum et in aperto est nihil omnino inter intelligendi vim et ratiocinandi interesse. Imo etiam, unde intelligentia, quo modo, quem ad finem ratiocinetur nos minime omnium latet. Quippe quæ ex iis quæ subjecta sensibus percipiuntur, scilicet ἐκ τῶν φαινομένων, vel etiam ἐκ τῶν φανερῶν profecta, auxiliante quidem memoria, per singula quæque ad

(1) *Præceptiones*, sect. 1, p. 25, 26.
(2) *Ibid.*, p. 26.

aliquid universum iter pergat. Id autem universum, quodcumque est, veritas est. Veritas autem, aut ars et scientia, aut artis et scientiæ materia.

Nunc quoniam Hippocratis universam de rerum natura et homine doctrinam uno tenore exposuimus, restat ut quorumnam philosophorum vicissim similis evadat attento animo quæramus. Quod si faustiori fato profecerimus, id huic ætati cognoscendæ aliquantisper profuturum confidimus.

Quum Hippocrates ignem summum omnium rerum principium esse, et cætera quæque exinde oriri diversis modis prædicet, eum Ἡρακλειτίζειν minime in dubio est. Si autem, de hominis natura disserens, maxime medicum sapit, attamen et philosophum, etiam tunc, sapit, cum Melissum (1), cæterosque omnes qui τὸ ἓν in medio apposuerint vehementius refellat. Ibique, forsitan Heraclitem jam non sequitur, profecto Heracliti nec adversatur.

Hippocratis instar plerique philosophorum apud Græcos (2) τῷ πνεύματι maximum concessere locum. Jamjam Diogenes aerem, Heraclites vaporem quemdam inter venas (3) simul cum sanguine pervagari docuisse referuntur, quibus homo quisque quum moveretur, tum et sentiret et secum cogitaret. Ipse Aristoteles, apud librum *De spiritu* (4), unde τὸ ἔμφυτον πνεῦμα

(1) Eum bis nominat apud librum : *De natura hominis.*

(2) Etiamque apud Indos. Adi *Essais de Colebrooke.*

(3) Adi Aristotelem, *De historia animalium*, l. III, cap. II, ubi Diogenis doctrina de venis universa referri videtur.

(4) Cap. I.

alatur et augescat, *ἢ διὰ τῆς ἀναπνοῆς, ἢ διὰ τῆς κατὰ τὴν τροφῆς προσφοράν πέψεως*, curiosius excutit. Idem etiam alio libro (1) spiritum esse principium a quo moveremur, et quasi fontem unde omne robur delibaremus, plane demonstrat. Necnon epicurei et stoici spiritus immemores, quum alii quidem eum pro quadam animi parte, alii autem pro ipso universo animo habuerint.

Omnes fere philosophi, vel physici, vel socratici, spiritumque animumque in corde inclusum, ex eoque per totam corporis molem irrepentem credidere. Credit et Hippocrates nonnunquam. Alias autem, atque etiam fusius, intra cerebrum eum agitari comprobat, veritati quidem, nemini vero apud suos consentiens. Pythagoreos enim, Platonem, et quicumque ejus vestigia persecuti sunt, non toti animo, sed menti uni caput, tanquam arcem, unde principatum obtineret, assignavisse compertum est.

Quum Hippocrates animum, ut temperatur corpus, sic et ipsum temperari, ut mutantur loci, sic et ipsum mutari disserit, statim etiam invitus Heraclitis Græcos ideo præstantiores quod Græcia siccior esset prædicantis memini. Quum animum ex corporis habitu dignosci posse disputat, statim Aristotelis eum qui *De physiognomonia* titulum habet librum scribentis recordor. Quum animum vel per somnum vigilantem, multaque aut sine sensibus sentientem, aut sine corpore agentem ostendit, statim succurrit quidquid idem Aristoteles *De insomniis* elucubraverit.

(1) *De animali motione*, cap. x.

Nec alia est Hippocrati, alia stoicis de mentis et animi partibus opinio. Hippocrates enim primum sensus quinque, deinde vocem edendi vim, denique rationem apud mentem agnoscit; stoici vero easdem prorsus facultates apud animum, hoc uno vix dissimiles, quod eam, qua generetur, cæteris insuper addant.

De sensibus quæcumque physice profert, et physicos et etiam Aristotelem redolent. Quos eosdem multo magis ea redolent quæ de intelligentia parcius. Hæc enim scripsisse fertur (1) Anaxagoras : « τῆς τῶν ἀδήλων καταλήψεως τὰ φαινόμενα (εἶναι κριτήρια) » Imo etiam Socrates, quum solummodo quæ priores ediderint referret, ita apud Xenophontem : « λογισμόν, ᾧ περὶ ὧν αἰσθανόμεθα, λογιζόμενοί τε καὶ μνημονεύοντες, καταμανθάνομεν (2). » Sed est mirabilior quædam Hippocratem inter et Aristotelem consensio, dignaque quæ uberius explanetur.

Memento enim, precor, primi τῶν μετὰ τὰ φυσικά libri. Ibi, ni fallor, Aristoteles menti humanæ sensus primum, deinde memoriam, postremo ἐμπειρίαν adscribit : « γίγνεται δ' ἐκ τῆς μνήμης ἐμπειρία τοῖς ἀνθρώποις· αἱ γὰρ πολλαὶ μνῆμαι τοῦ αὐτοῦ πράγματος, μιᾶς ἐμπειρίας δύναμιν ἀποτελοῦσι· — Καὶ δοκεῖ σχεδὸν ἐπιστήμῃ καὶ τέχνῃ ὅμοιον εἶναι ἡ ἐμπειρία. — Γίνεται δὲ τέχνη, ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων, καθόλου μία γένηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις (3). » Qui perinde ac si timuisset ne ea nos Hippocratis obliti legeremus, exempli gratia, et Καλλίαν κάμνοντα, et τὴν νόσον, et τὸν ἰατρεύοντα, et τὴν θεραπείαν, inducit.

(1) Sextus, *adversus Mathem*, VII, p. 140.

(2) *Mem.*, l. IV, III.

(3) *Met.* I, I.

VIII.

Omnia quæcumque supra conscripsimus, de quo dubitari possit, nihil prorsus habent. Quum enim nihil aliud quam ut Hippocratis doctrinam (philosophicam quidem) exponerem, ejusque cum cæteris Græciæ doctrinis similitudines adnotarem, in animo fuit, ea res nullam facere controversiam mihi videtur. Nunc autem ecce instat perdifficilis quædam quæstio

Noctem hiememque ferens.

Quærendum est enim et diligenter excutiendum quosnam philosophos, discipuli instar, imitatus fuerit Hippocrates; quosnam, magistri ritu et more, aut monuerit, aut excitaverit. Quo nihil obscurius esse libens affirmaverim.

Excutimur cursu, et cæcis erramus in undis!

Nec tamen quando, quibusque florentibus, Hippocrates natus fuerit in incerto est. Si enim Coo Sorano (1) fidem habemus, « Peloponnesiacis temporibus viguit, primo octogesimæ Olympiadis anno, regnante Abriada, mensis agriani sexto et vigesimo die. » Cum igitur paululo junior Socrate esset, fortasse jam inde concludis eum, quidquid physicum

(1) *Hipp. genus et vita*, t. VIII, p. 1297.

habuerit, a physicis accepisse, quidquid autem socraticum, socraticis tradidisse? Optime! Age vero, primum omnium tibi eos omnes libros qui hippocratici vocari solent, vere hippocraticos esse, comprobandum est. Hoc autem minime comprobari potest.

Plurimi tamen, nec parvi momenti, ipsi Hippocrati fere ab omnibus uno consensu tribuuntur. Qui, si nominari velis, ii sunt (1) :

De natura hominis (2).
De aere, locis et aquis.
De morbis vulgaribus (3).
De officio medici.
De locis in homine.

Multi alii libri a plerisque veterum, paucis recentioris ætatis repugnantibus, vel Hippocrati, vel Thessalo et Draconi filiis, vel Polybo genero, non sine probabili causa adscribuntur, iique ita appellari solent :

Hippocratis jusjurandum.
De carnibus (4).
De victus ratione.
De flatibus.
De natura pueri (5).

(1) Eos solum et hic et infra referam, e quibus aliquid philosophicum excerpere mihi contigit.

(2) Nonnulli secundam hujus libri partem aut Thessali aut Polybi esse suspicantur.

(3) Multi tantummodo primum et tertium librum pro hippocratico habent.

(4) Ab Aristotele Polybo tribuitur. *Hist. animal.*, l. III, c. III.

(5) Fortasse Polybo adscribendus.

De morbo sacro (1).

Quidam alii libri à quibusdam respuuntur, merito, si ita placet, at certe non justa de causa. Quum enim eum qui *De prisca medicina* scribitur, post Aristotelem scriptum fuisse affirment, propterea quod multa de *calido* et *frigido*, de *sicco* et *humido* contineat, quam sint antiquioris philosophiæ rudes plane demonstrant. Jamjam enim ipse Plato, apud *Phædonem*, eos qui animum nihil aliud esse quam *calidi* et *frigidi*, *sicci* et *humidi* concordiam contendebant, acrius refellit. Jam idem excellentissimus auctor, apud *Timæum*, plurima de iisdem principiis huc et illuc effundit. Ex quo facile patet, ea ante a physicis usurpata (2).

Nec iis assentiri possum qui, ubi apud librum quemdam aliquid deprehendunt quod aut peripateticos, aut stoïcos, aut etiam alexandrinos redoleat, statim eum recensionis ætatis nota signari persuasum habent. At, me hercule, minime ita se res habet. Quum enim alexandrini multa a cæteris philosophis, quum stoici multa a peripateticis, quum peripatetici multa a Platone, multa a physicis arripuerint, nihil profecto impedit quominus aliquis etiam natu major eadem ex eodem fonte hauserit. Procul igitur abjiciantur, si ita tibi in animo est, libri *De decenti habitu*, *De arte*, multique alii ejusdem modi, non autem propter nonnulla recentioris philosophiæ vestigia arguantur.

Unum aliquid restat, quod minime omnium non

(1) Forte Draconi.

(2) Non enim ut nova quædam ea Plato inducit, sed ut antiquiora et jampridem cognita.

notatum velim. Libros, quæso, qui pro genuinis vulgo habentur, cum iis, qui pro spuriis, confer : sæpius plane easdem sententias apud utrosque reperies. Quid inde? Spurii ne sint, an non, nihil interesse. ***De decenti habitu*** librum, ***De prisca medicina*** respuis : sit ita; at superest ***Hippocratis jusjurandum*** quo morum ; at superest ***De carnibus*** liber, superest ***De victus ratione***, quibus historiæ amator ostentetur.

Quæ quum ita sint, tria quædam summatim colligi posse mihi videntur hoc modo:

Primum, physicorum, in primisque Heraclitis, fautor et discipulus certissime exstitit Hippocrates, cum eos libros, in quibus physica quædam disseruntur (1), socraticis temporibus conditos fuisse pro certissimo habeatur.

Deinde, quanquam multa eximiaque, intra medicinæ fines, more socratico, præcepit, non ideo tamen Socrati ἑταῖρος adscribendus. Quippe qui fuerit in omnibus, præsertimque in moribus αὐταρκέστατος. Nec Athenis unquam moratus est; nec ita Socrate junior, ut ejus vestigia persequi potuerit.

Postremo, et Platoni, et Aristoteli, et stoicis sine dubio nonnulla tradidit, quæ imitarentur. Galenus enim in illo libro qui est ***De Platonis et Hippocratis decretis***, quam plurima utrique communia ostendit (2). Imo etiam ipsum Platonem habemus confitentem. Qui, apud *Phædrum*, se eadem μεθόδῳ qua maximus Hippocrates hominis naturam investigaturum pro-

(1) Præsertim, *De carnibus*, *De victus ratione.*

(2) Adi lib. V, c. IX. — L. VIII, c. II, IV, etc.

fatur (1). Aristoteles autem ita non alienus libris Hippocraticis, ut, inter animalium historiam (2), sententiam Polybi, id est Hippocratis, e libris *De carnibus*, et *De locis in homine* excerptam, pene ad verbum transcripserit.

(1) Edit. John. Serr., III, 270, C. E. cfr. Protagoras, III, 311.
(2) Edit. G. Duv., III, III, 241.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid. id. jun. ann. M DCCC LV,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J.-Vict. LE CLERC.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

CAYX.

Caen, typ. de A. Hardel.